fecerunt Sarraceni concham, ad imponendam aquam pro potu. 449
De hoc sepulchro habetur 1. Reg. X., quod Samuel Saulem 447
regem certificavit per signum, quod juxta sepulchrum invenerat, 453
duos viros salientes magnas foveas. Hunc locum venerantur Sarra- 443
ceni, Judaei et Christiani. Orationibus ergo dictis indulgentias 458
recepimus (†), et progressi inde ad locum nunc quidem 438
aridum venimus, olim tamen deliciosum, quia ibi Salomon 498
unum de suis hortis conseverat, de quibus hortis dicetur fol. 398
249. A. B. Ibi vidimus Bethlehem eamque salutavimus.

In loco praefati horti stetimus et ibi primo Bethlehem civitatem David et Christi vidimus e longe, quasi per medium milliare teutonicum; ecclesia tamen beatae Mariae Virginis, in qua locus est nativitatis, prae omnibus, quae videre poteramus, eminebat. Visa ergo civitate illa gratiosa statim cecidimus de asinis et jocundissime civitatem salutavimus 348
his vel similibus affectuosis orationibus: salve Ephrata regio uberrima, cujus fertilitas est Deus. Salve Bethlehem, domus panis, in qua reconditur panis ille, qui de coelo descendit. De te quondam Micheas vaticinatus, te non esse minimam inter principes, imo maximam, ex qua dux exivit, qui mundum regit. In te natus est princeps ex virgine matre, qui ante Luciferum genitus est ex Deo patre; in te tam diu davidica stirps permansit, donec virgo peperit. O Bethlehem, quibus te laudibus efferam, nescio! quia quem coeli capere non poterant, in parvo tugurio conclusisti. Gaude Bethlehem, spectabilis facta in oriente et occidente. Nam sicut olim Magorum sapientia confluxit ad te de oriente, sic nunc peregrinorum devotio te videre desiderans venit ab occidente. Ende

Salutatione peracta asinos ascendimus et cum ingenti gaudio et festinantia contra Bethlehem properavimus. Quidam prae gaudio et devotione flebant, alii ex jubilo cantabant carmina (B) illa natalia: Puer natus in Bethlehem, unde gaudet Jerusalem. Et illud: Resonet in laudibus, cum jucundis plausibus etc. Et illud: In dulci Jubilo nu singent und sind fro ꝛc. Hymnum autem angelicum: Gloria in excelsis Deo, omnes simul cantavimus. Ad nostrum autem jubilum non movissent se domini Mauri Sarraceni, ductores nostri, sed cum silentio auscultabant, et videbantur mihi magis jocundi Anfang

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-2;